



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XXIX. Locationis. Post hanc, si facta, non esse locum Pœnitentiæ,  
deciditur: possuntque compelli Domestici ad ferendum hac de re  
Testimonium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](#)

keit aus zu manutenen, Aetrix aber, & Consortes mit ihren leeren Gesuch neben Revision gemachter Expensen lediglich ab-

zuweisen: welches dann Rechtes zu seyn erachte, doch mehr begründter Meynung hiermit mit nichts was benemend.

## CONSLIUM XXIX.

## In Causa Locationis.

## SUMMARIUM.

1. *Facti Species.*
2. 3. *Locatio Conductio est Contractus consensualis: & perficitur absque rei traditione, aut scriptura.*
4. 5. *Pradium locatum uni, illicite locatur alteri: ino etiam invalide, si primo jam sit traditum.*

## FACTI SPECIES.

I.



Empronius Fundum suum Tusculanum locavit Mævio pro certo pretio, quod cum experimto aliquot annorum didicisset, tantum esse, ut damnum potius quam lucrum referret, supplicavit Sempronio pro hujus diminutione. Exorari se iste passus est, convenientiique inter ipsos de pretio, seu mercede Locationis minore, ac tali, ut ambo possent esse contenti. Proinde Sempronius mandatum Officiali suo dedit, ut novus iste Contractus, inter ipsum, & Mævium initus, in scripturam redigeretur. Verum iste, urgente licet identidem Mævio, varias causas prætendens, moram in confiendo Instrumento traxit ad aliquot septimanias. Interea Sempronius idem prædium Tusculanum locavit tertio, majus premium offerenti: quod tandem insinuavit Mævio, nihil ejusmodi exspectanti. Adiunt quidem testes, qui interfuerunt Contractui, sub diminutione pretii inito cum Mævio; sed isti omnes sunt Domestici, in servitio Sempronii constituti, qui proinde metu offendae, apud Dominum suum incurriendae, recusant pro Mævio testificari: aliae probationes Contractus, cum eo sub diminutione annua Pensionis pro fundo locato initi, nullæ suppetunt.

## QUÆRITUR I.

*Utrum novus Locationis Contractus, sub diminutione pretii cum Mævio initus, haberi debeat pro Contractu in suo genere perfecto?*

2. *R* Epondeo affirmativè; Nam Locatio Conductio est Contractus consensualis,

6. *Domeſtici & famuli cogi poſſunt ad dicendum Testimonium.*
7. *Ino etiam privilegiata persona, ſi cauſa graviat exigat.*
8. *Grave dannum inde oriturum excusat à Testimonio ferendo.*

leu, qui solo consensu perficitur, prout patet ex Definitione communiter receptâ, juxta quam Locatio Conductio est Contractus Juris Gentium, bonæ fidei, & solo consensu initus, quo persona, vel res aliqua alteri utenda, vel fruenda pro certo pretio, vel mercede conceditur, & ab eodem accipitur. Adeoque Contractus iste ad sui perfectionem, & constitutionem neque continuo rei traditionem, neque verba certa, neque literas, ſeu Scripturam, in quam redigatur, desiderat, ſed ſolo, nudoque consensu de aliqua re contenta eft.

*L. Locatio. 1. ff. Locati. L. qui ad certum. 14. eod. L. consensu. 2. ff. de O. & A.*

Commune hoc eft quibuscumque Contractibus, qui solo consensu perficiuntur; nam ad horum substantiam, ſeu naturam neque certa verborum forma, neque Scriptura, neque traditio rei requiritur, niſi ex conventione partium contrahentium, vel ex dispositione Legis in certis quibusdam Contractibus aliud quid requiratur. In Casu praeferti de conventione partium non conſtat; nam, licet convenitum inter illas sit, ut ſuper novo tractatu, quo Fundus Tusculanus Mævio ſub diminutione prioris pretii locatus eft, erigeretur Scriptura, non tamen continuo ſequitur, Scripturam ex eorum mente requiri ad substantiam, ſed requiritur, in id expreſſe illos convenire, ut Contractus non valeat, niſi ſuper eo confecta, & approbata Scriptura ſit: alioquin censentur tantum voluisse Instrumentum confici, ut temporis longinquitate Contractus memoria non intercidat, & probationis copia pereat.

Tusch. præl. V. Contractus. concl. 99. Salas tract. de Empt. dub. 65. Fernand. Vasq. l. 1. contr. c. 28. n. 23. Wiefner ad tit. de Empt. & Vendit. num. 9. Ego ibid. n. 11.

Sed

Sed neque Legis dispositione cautum de Locatione est, ut illa fiat in scriptis, quippe quæ, ut *Num. præced.* vidimus, ex natura sua solo consentu perficitur: cui non obstat consuetudo hujus Urbis, juxta quam Locationes solent in scriptis fieri; nam, cum nunquam presumatur derogatio Legis, vi hujus confuetudinis videtur Scriptura tantum requiri ad probationem faciliorem, non vero ad Contractus substantiam.

## Q U Ä R I T U R II.

*Utrum Sempronius post Locationem novam, sub diminutione pretii cum Mævio initam, potuerit pœnitere, & Fundum suum Tusculanum locare alteri?*

4. R Esondeo negativè. Ita communis, & ex dispositione  
C. ex Rescripto. 1. de Locat. & Conduct. sumpta doctrina, juxta quam, durante tempore, pro quo locatum est prædium, vel alia quæcumque res uni, non potest novus Contractus Locationis Conductionis iniiri cum altero, ita, ut ante temporis concessi lapsum hæc nova Locatio effectum sit fortitura. Ratio est, quia Locatio Conductio est Contractus ultra, citrōque obligatorius, qui, altero contrahente invito, dissolvi non potest. Proceditque hoc, sive post initum Contractum Locationis traditio rei locatae secuta sit, sive non: cum hoc tamen discrimine, quod ubi traditio non est secuta, solum illicite, post traditionem verò invalide cum alio ineatur Locatio nova. Hinc in primo casu, si duabus eadem res locata, & nulli illorum traditio facta sit, is erit potior, cum quo primò initus Contractus est.

L. in operis. 26. ff. L. si olei. 21. C. Locat.

Si verò uni facta traditio sit, præfertur ille, cui res titulo Locationis Conductionis est tradita.

Arg. l. quoties. 15. C. de R. V. Zœf. ad ff. tit. Locat. n. 6. Lauterbach ibid. §. 16. Clar. P. Schmier de Palt. & Contratt. c. 2. n. 328. & 329.

5. In Causa præsenti, cum Sempronius Fundum Tusculanum post novam Locationem initam reliquerit in Manu Mævii, hæc ipsa continuatio possessionis habebit rationem traditionis novæ: & esto, non haberet, cum tamen nec illi tertio, i.e. secundo Conductor facta traditio sit, juxta doctrinam *Num. præced.* traditam isti præferri debebit Mævius, quippe cum quo prius Contractus est initus, adeò, ut jam non amplius liceat pœnitere Sempronio, & eundem fundum Tusculanum locate alteri sine injuria Mævii, in hanc Locationem non consentientis. Excipiuntur quidem in Jure aliqui Casus, in quibus Locator Conductor, etiam invitum,

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

ante finitum Locationis tempus potest expellere. Verum ex his Exceptionibus nulla verificatur in Casu præsenti: atque adeò sibi constat resolutio negativa ad hanc secundam Questionem data.

## Q U Ä R I T U R III.

*Utrum Testes Domestici à Juge compelli possint ad ferendum Testimonium de novo Contractu, inter Sempronium, & Mævium inito, non obstante, quod Familiares, seu servitii obligatione Sempronio adstricti sint?*

6. R Esondeo affirmativè. Nam, ut invitad Testimonium dicendum compelli nequeant, solum excipiuntur Parentes contra Liberos, & vicissim Liberi contra Parentes,

Can. si testes. 3. §. parentes. caus. 4. q. 3.  
L. Parentes. 6. C. de Testib.

Agnati, & Cognati, item Affines contrarie invicem,

Can. si testes. cit. §. item Lege Julia, & l.  
Lege Julia. 4. ff. de Testib.

Uxor contra Maritum, & vicissim.

L. Lege Julia. cit.

De Domesticis autem, & famulis, ne compelli possint ad testificandum contra se invicem, aut contra Dominum suum, nulla est Juris Constitutio. Proin hi generali Juris dispositioni subjacent, juxta quam ad ferendum Testimonium compelli possunt à Judice omnes, qui rogati, & vocati ferre Testimonium renunt, nec causam, quæ ipso excusat, afferunt. Ita enim statutum est utroque Jure;

Canonico quidem per Rubricam, & textus tit. de testib. cogend. Civili autem l. constitutio. 10. l. si quando. 19. & Auth. seq. C. de Testib.

Ratio est, quia publicè utile est, ex veritatis occultatione nemini interverti jus suum, quod tamen fieret, si testes à ferendo Testimonio se possent subtrahere.

Imò, si gravitas Causæ sic exigat; etiam Privilegiæ Personæ adigi possunt ad Testimonium perhibendum, prout sumitur

ex Can. quinquag. 2. caus. 14. q. 2. Et docet Abb. in c. 1. de testib. cogend. n. 4. Hiltrop. p. 3. tit. 9. c. 3. num. 6. Gaill. l. 1. obs. 100. n. 15. Haunold. tom. 5. de f. & f. tract. 4. n. 144. Vallens. tit. de testib. cogend. num. 7. Ego ibid. num. 6.

Sed tunc de Jure Canonico necesse est probari, quod Testimonium talis privilegiæ personæ necessarium sit, vel quod malitiosè se subtrahat; nam præsumitur se subtrahere non malitiosè, sed ob Privilegium, quod ipsam habere constat. Unde Privilegiati à non Privilegiatis in hoc differunt,

D d 2

quod

6.

7.

quod hi, si Testimonium ferre nolint, debent ostendere se causam istam excusandi habere; alias coguntur, cum adversus ipsos sit Præsumptio, quod ex prava affectione renuant. At Privilegiati causam aliam excusantem afferre non debent, nisi Privilegium, sed ipsis probari debet, quod Testimonium illorum sit necessarium, & aliter veritas haberi nequeat. Videantur ulterius, quæ dixi

*ad tit. de testib. cog. n. 7.*

8.

Exceptio unica, quæ in Casu præsenti excusationem à Testimonio deponendo præberet, esse posset metus gravis offendæ apud Dominum, & damni inde consequentis; nam ex communi DD. si Testi, vel suis grave damnum immineat ex Testimonio, is ab obligatione hoc deponendi absolvitur, ex ratione generali, quod nemo hujusmodi Offi-

ficia teneatur præstare cum gravi suo, vel suorum damno, nisi publicum bonum, cui bonum privatum cedere debet, hoc exigat. Certè si in præsenti Specie Facti tale damnum ex Testimonio, deposito contra Dominum, familiaribus ejus secuturum timeri posset, excusarentur. In rei autem veritate hujusmodi damni periculum nullum esse ostendit satis qualitas Personæ Sempronii, quippe de quo ratione Dignitatis, in qua consistit, urgentissima Præsumptio est, quod cursum Justitiae sistere nequaquam velit: adeoque, nisi contrarium probetur, inhaerendum dictæ communis doctrinæ, juxta quam ad Testimonium dicendum compelli universi possunt, qui causam ab obligatione hac excusantem monstrare non possunt.

## C O N S I L I U M   X X X .

### Immissionis in Possessionem Legati ob prætensam incapacitatem ejus, ad quem id prius ex mente Testatoris per venturum erat.

#### S U M M A R I U M .

1. *Facti Species.*
2. 3. *Dubium facit apparenz incapacitas Societatis JESU ad Legatum Questionis.*
4. *Religiosi S. J. ante Professionem aut ultima vota Coadjutorum sunt capaces Successionis Hereditaria.*
5. *Secus Professi aut Coadjutores Formati.*
6. *Collegia & Domus Probationis S. J. capaces sunt Successionis ex Testamento, si ratione sui instituantur.*
7. *In modo etiam Domus Professa, cum distinctione tamen Bonorum.*
8. 9. 10. *Collegia aut Domus Professa non possunt succedere in Bona suorum Religiosorum ab intestato: bene autem ex Testamento, vel Renuntiatione circa Bona ante Professionem acquista.*
11. *An Societas possit pretendere hereditatem ab intestato loco sui Professi, qui ante Professionem omnia Jura sua eidem cessit?*
12. seqq. *Rationes dubitandi.*
13. *Et seqq. Solvuntur.*
14. *Statuitur sententia affirmativa.*
15. *Societas JESU potest à quocunque hæres institui.*
16. *Etiam ab ipsis suis Religiosis.*
17. *Spes Juris acquirendi potest deduci in contractum.*
18. *In Renuntiatione Juris acquirendi attenditur status præsens, quo renuntiatio fit: non autem incapacitas Renuntiantis eo tempore, quo Jus illud deferri contingit.*
19. *Hinc Ordo Religiosus incedit loco Reli-*
- giosi sui Professi; licet hic eo tempore incapax sit Successionis.
20. *Scholastici Societatis capaces sunt Legatorum:*
21. 22. *Ut & Collegia & Domus Professa.*
23. *Modi non relinquuntur sub conditione repugnante Instituto.*
24. *An etiam Professi capaces sint Legatorum? Rationes dubitandi.*
25. *Afferitur eorum Capacitas.*
26. seqq. *Responderetur ad rationes Adversariorum.*
27. *Collegiis & Domibus Probationis possunt relinquiri Legata annua.*
28. *Etiam Domibus Professis, si habeant rationem unus Legati.*
29. *Secus si ob successivam solutionem habeant rationem Bonorum stabilium. Ad hanc Domus Professa non potest habere Jus Civile:*
30. *Neque Jus naturale Justitia.*
31. *Potest Domui Professa legari Census, non tamen anni Reditus ipsius Censis, nisi forte ad modicum tempus.*
32. *Et seqq. Ad longius etiam tempus acceptari possunt, si hæres altrò & sponte solvit:*
33. 34. *Vel ex obligatione, quam habet respectu testatoris; modo respectu Societatis obligationem Justitia non habeat.*
35. seqq. *Legata annua possunt relinquiri etiam singulis Professis:*
36. 37. *Qua tamen competent Domui, in qua ille degit, juxta capacitem illius:*
38. *Nisi Propositus Generalis aliter disponat.*
39. seqq.